



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam
insignium memoriam in menses diesque ...**

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

VI. Die Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

VI. DIE MARTII.

P. A N D R E A S
GALVANELLUS.

6. Mar. Ita-
lus Perusij.
1557.

Charitas.

AS. P. Ignatio Venetijs Collegio Rector præfectus. Præfuit postea etiam Bononiensi Collegio. Mox Pontificis missu adijt vallem Tellinam, vbi celebratus est eius introitus cum honore. Perusinum deinde Collegium ita rexit, vt Societatis historia illum eius Collegij vocet *lumen ac robur*, qui verbis de Deo faciendis & confitentibus expiandis cunctam ciuitatem rapuerit; cumque omnibus omni tempore operâ promptam haberet, eam virtutis opinionem sit nactus, vt in vijs tanquam sanctum omnes venerarentur: ad quem ægrum ingens assidue multitudo accurreret, medicamenta sollicitè inquirens; & vbi non proderant insolabiliter plorans.

P. P E T R V S
TABLARES.

Hispanus
6. Mar. 1567.
Paupertas.

Hic anno 1547. cum à Villanoua exercitijs instrueretur, paupertatem stomachatus, terga vertere meditabatur, colapho prius Villanouæ impacto. Sed repente diuinitus percussus, Villanouæ quicquid cogitarat aperuit, eam quam horruerat paupertatem in Societate amplexus. Magna illi, vt pote homini peracuto facundoque, apud Dynastas erat authori-

tas, & magna in duris quibusque ad pœnitentiam, & lacrymas permouendis efficacia. Interfuit anno 1555. Cæsaraugustæ illi tempestati, clauisque Collegij senatui tradens, ita attemperatè locutus est vt senatus Societatem insigni & beneuolentiâ, & liberalitate sit prosecutus in digressu. Ipse apud Proregem mansit, nullo in loco sine insigni animarum bono versatus.

Concion.

P. VALENTINVS
FORSTERUS.

A 16. Iulij anni 1605. vsque ad 6. Martij anni 1608. morbis variè confictatus, non minùs possedit in patientia animam suam æger, quam sanus aliorum animas in labore industriaque possederat, vt eas ad vias rectas deduceret. Quicquid officiorum in illum impendit charitas Fuldensium sociorum, id omne illi sibi ab eo præclaris exemplis cumulatè fuisse compensatum, luculenter testati sunt. Tota hæc patientia pretiosus apparatus illi fuit ad mortè; de qua diuinitus aliquid accepisse videri potest; mortis, vt loquuntur Fuldenses literæ & extremæ horæ tam certus, vt quando extremum iniungendus esset oleo sacro, quando cereus porrigendus, quando recitanda commendatio ipse præsens vsque sibi quasi signo dato, præscriberet, & præfiniret omnia.

Germanus
Fuldæ. 6.
Mar. 1608.
Soc. 17.

Patientia

Mort.

Patientia

VII. DIE